Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3043
Quelle:
Copyright:

Lommearme. Themata modulorum ſubin in fronte indicantur. Ita legas: *Princeſſe Damorette. La meſſe de maleure me bat. Le ſeruiteur. Miſſa almana. Officium my my* &c. *Fol. 1. pag. averſa* praeter insignem marginem florulentum Virginem matrem exhibet puerum Jeſum gremio foventem, qui ex libro ab Angelo ſibi oblato cantillare videtur, altero Angelo interim fidibus adludente. *Pag. ead.* Insignia regni Luſitaniae conſpiciuntur; *Fol.* vero 2. litera capitalis *prima* Principem armatum genuflexum e libro preces fundentem, tapete ſubſtrato litera M conſperſo, poneque adſtante ſphaera armillari et galea coronata, litera capitalis *ſecunda* juncta Luſitaniae Caſtellaeque insignia, charactere M rurſus hinc atque inde adpicto, *tertia* denique Sphaeram iterum armillarem cum lemmate *Spera Mundi* includit. Haec eadem Luſitaniae, Caſtellaeque Insignia cum ſeparata, tum conjuncta *Fol.* 17. *pag. averſa* recurrunt. Liceat ex his inferre, Principem illum genuflexum non alium eſſe, ac Emmanuelem (lingua gentis *Manuelem*) Luſitaniae Regem, qui Iſabellam Ferdinandi Cath. Aragoniae et Caſtellae Regis filiam in primo toro habuit, virum, ut teſtatur vitae ſcriptor *Hier. Oſorius* L. XII. rerum ſacrarum adprime ſtudioſum et muſicae amantem. Quod Sphaeram adtinet, Oſorii verba L. I. *edit. Ulyſſip.* 1571. *p.* 24. f. de expeditione Indica Vaſci de Gama agentis recitare juvat: *Moueebatur praeterea* Emmanuel *augurio quodam a Joannis mente et conſilio ducto, quo illum vivens admonuerat, ut pro virtutis insigni, quod regiis insignibus adjungeret*, Sphaeram, *in qua ſunt coeleſtis regionis circuli deſcripti, geſtaret.* Id ipſum confirmant docti Mauriani in illuſtri Opere *Art de verifier les Dates* &c. *edit. Pariſ.* 1770. p. 830. f. *On voit dans le ſceau de ce Prince ſon écuſſon ſurmonté d'une* Sphere, *ſymbole de ſon amour pour l'Aſtronomie, et des découvertes, que les Portugais firent ſous ſon regne dans les païs éloignés.* Codicem noſtrum cum Iſabella Emmanuelis filia Caroli V. Imp. ſponſa ad Auſtriacos demigraſſe, a vero non abludit.

DCCCXXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. ineuntis Folior. 141. f. max. nitide ſcriptus et coloribus exornatus complectitur *Miſſas* VII. modulis muſicis quatuor vocum in *quinque* linearum ſyſtemate elaboratas, quarum hi ſunt tituli: *Miſſa de venerabili ſacramento Josquin. Miſſa de domina Josquin. Miſſa Hercules ducis ferrarie. Miſſa Malbuer me bat Josquin. Miſſa fayſant Regretz. In dyateſſaron Josquin. Miſſa aue maris ſtella Josquin. Fol.* 2. conſpicitur Insigne *Fuggerianum*, unde conjicere eſt, Codicem hunc una cum duobus ſequentibus ad Bibliothecam illuſtris hujus Familiae pertinuiſſe, quae 1656. in Caeſaream immigravit. 35

DCCCXXXIV.